

dealbandas depraedicat, praesertim si aliquid argenti vivi sublimati, iisdem injeceris. In Belgio contra tufam inanem inprimis et puerorum, potus ex buccino propinatus.

Differentias quod spectat, Rondeletius duo reperiri scribit, parvum, nempe, lineis frequentibus asperiusculum, et alterum ei simile, nisi quod lineas prominentiores habeat, et transversas, ut striatum merito dici possit. Est et testa spissiore durioreque, nec

non genus magnum coloris violacei, sed cuius orbes flavescent, et in ore canticant. Gesnerus se et aliud vidisse scribit, purpurae similius, figura et magnitudine proprius, tuberculis undiquaque dispositis, deinceps rotundis scite omnino eleganterque *εργάστην* elevatum; nec in mucronem adeo exorrectum, sed capite obtuso brevius. Missa et Aldrovando peregrina, colore et duritie marmoris, circulis rosas aemulantibus.

ARTICVLVS IV.

De Murice.

Murex modo Buccinum, modo Purpuram significat, taceo colorem purpureum, cui Muricis nomen imponitur. Hic pro testaceo sumitur, quod et turbinatum et longos firmos que aculeos habet, nomenque ab asperitate murorum fortitum est. Per totus inter ostrea enumerat, propter scabritiem corticis. Sed alia in Ostreis asperitas, alia in Muricibus. Illa per totam superficiem sese repandit: haec, aculeis quibusdam per intervalla eminentibus constat, iisque longis et firmis, quod Plinius quoque firmare vindetur, dum ait: Firmioris jam testae murices et Concharum genera. Vallerius Flaccus dum intortum vocat, de buccino sumendus est.

Usum in Cibis quoque habent, sed illici laudatis. Xenocrates enim falsos viros effe, et ventrem turbare, urinam ciere, ori ingratos, concoctu difficiles, pituitam gignere, etc. scribit. Scribonius Largus tamen et Celsus inter Cibos stomacho gratos recensent. Apud Macrobius etiam cum aliis conchis in epulo apponuntur, quo die Lentulus flamen inauguratus est.

Usum in Medicina si attendimus, Carnes appositae pilos in manmis tollunt: Testarum cinis cum oleo tumores aufert; panis resistit; Capitis ulceribus cum melle illinitur; maculas in facie mulierum purgat, et parotides tollit. Habetur et pro dentifricio. Carbunculos de veretris exterminare, Marcellus Empiricus prodidit.

Quantum ad *Differentias* et *Genera*, est **Murex Marmoreus**, **Triangularis**.

ris, Lacteus, Purpureus Orthocentros, Coracoides, et Aporrhais. Marmoreus a candore et duritia nomen sumvit. Rondeletii parte interna ex albo purpurascit. Testa gravis est, densa, solida, aculeis multis horrens, figura inter buccinum et conchylium media, ampla, ut merito *δεκαπότυλος* dici possit. Uritur facile, et in cinerem abit, acrimoniamque ob empyreuma acquirit, Ambustis medetur, cicatricemque pulchram inducit, postquam abluta, et cum oleo rosato in unguentum redacta fuerit. Gesneriani marmorei muricis color forinsecus pallescit, intrinsecus cum pulcherrimo splendore ex albo roseus est, Labrum exterius protendit se et dilatat in marginem: mucrones infra caput seu conum testae duo magni, sed obtusi prominent. In ipso cono parvi admodum et subrotundi, per spiras deinceps non aculei sed tumores visuntur. Huic accedit *Aldrovandi*, turbine acutissimo atque longo et exili, undique strictus aut potius undatus.

Triangularis, altera parte est planus, altera fere rotundus, sed ita, ut utrinque sint duo latera, tertium, plane pars afficiat, a qua figura, quae huic propria est, nomen sumvit. Aculeos habet breves et firmos, vario est colore, foramen duplex habet rugosum, quo ob testae amplitudinem et brevitatem sonus editur gravis et tristis. Operculum cum uritur, fumum emittit. Pinguedinis aliquid habere, recte inde colligasi. Quare in oleo amygdala-

Differen-
tiae.T A B. X.
et XI.
Nomen.

Descriptio.

Usus in Ci-
bis.Largus
Compos.
104.Usus in Me-
dicina.Differen-
tiae.